

diderunt decretum No 24. A publicâ etiam decretorum lectione abstinendum censuerunt. Decreta autem omnia in hac ipsâ Congregatione legi voluerunt, ut iis crastino die in publicâ Sessione omnes palàm subscriberent; quod et factum est.

Lecta fuit et probata Epistola ad hujus Provinciæ Fideles, quam publicè in Ecclesiâ post Vespertinum Officium legendam crastino die statuerunt Patres, idque muneris commiserunt Revmo Episcopo Carolopolitano, qui ejusdem typis mandandæ curam suscepit.

Commissum est Revmo Episcopo S. Ludovici, ut à S. Sede per supplices litteras à Patribus subscribendas, peteret ut eadem forma in adultorum ac parvulorum baptisate adhuc usurpanda permitteretur; nec non ut brevior formula baptismalem aquam consecrandi, extra Paschæ et Pentecostes sabbatum, in Missionariorum commodum sanciretur, illius instar quæ in Rituali Limæ edito reperitur; et tandem, ut tempus Paschali præcepto in hisce Fœderatis Provinciis adimplendò adsignetur.

Lecta quoque est et approbata ratio quædam Societatis ad libros disseminandos.

Postquàm discessisset Revm D. Archiepiscopus, gratias amplissimas ei agendas Patres statuerunt, ob propensam in ipsos voluntatem, mansuetudinem, comitatem quam ipsis exhibuerit, et hospitalitatem quam erga omnes adhibuerit.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA,

HABITA DIE DECIMA OCTAVA OCTOBRIS.

DIE 18 Octobris, festo S. Lucæ, quod hoc anno incidit in Dominicam, Revm D. Archiepiscopus

pontificaliter in Cathedrali Ecclesiâ celebravit, adstantibus Prælatibus et Sacerdotibus, prout in primâ Sessione factum est. Concionem habuit Revm Episcopus Carolopolitanus. Post Sacrum, psalmus et hymnus prout in Pontificali præscribuntur decantati sunt, ceteraque pro more peracta.

Deinde titulis decretorum quæ jam in privatis Patrum Congregationibus parata erant, per Secretarium ex mandato Illmi D. Archiepiscopi lectis, Promotor instabat pro ipsorum decretorum approbatione et confirmatione, his verbis: *Reverendissime Pater, ego BENEDICTUS, Episcopus Bostoniensis, hujus sancti Concilii Promotor, peto ut Decreta hæc quæ lecta sunt, à Patribus hujus Concilii approbentur, et confirmentur, ad Ecclesiæ Catholicæ augmentum.*

Itaque Revm D. Archiepiscopus Patrum sententiam exquirens, sic eos affatus est: *Placetne vobis, venerabiles Fratres, hæc quæ lecta sunt Decreta approbare, et confirmare?* Et singuli responderunt: *Placet, approbamus, confirmamus.* Tunc Secretarius decretum de approbatione et confirmatione altâ voce legit, ut sequitur: *Nos JACOBUS, Archiepiscopus Baltimorensis, alique Episcopi in hoc sacro Concilio adunati, Decreta hæc quæ mox lecta sunt approbamus, et confirmamus.* Quibus dictis, Prælati omnes post Revm D. Archiepiscopum accesserunt, et decretis subscripserunt.

Tunc Revm Promotor instabat pro conclusione Synodi, his verbis: *Reverendissime Pater, ego BENEDICTUS, Episcopus Bostoniensis, hujus sancti Concilii Promotor, peto ut huic Concilio Provinciali finis jam fiat.* Revm D. Archiepiscopus deinde Patres interrogavit: *Venerabiles Fratres, placetne vobis, ad Dei Omnipotentis laudem, hujus Concilii Provin-*

*cialis finem jam fieri?* Et singuli responderunt: *Placet.*

Tunc Secretarius legit decretum de conclusione Synodi: *Nos JACOBUS, Archiepiscopus Baltimorensis, aliique Patres qui huic Concilio Provinciali intersumus: cum absoluta sint quæ pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, cumque pastoralis cura nos ad Ecclesiarum nostrarum status, et pastorales vigilias revocet; propterea huic sancto Concilio finem imponi censuimus.*

Tum Revm̄us D. Archiepiscopus, dimissâ mitrâ, surrexit, et stans versus ad altare, dixit:

OREMUS.

“Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffensè possit tuæ voluntatis judicium experiri; et ideò, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa, misericors Deus, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus: te in nostris principiis occursores poposcimus, te in hoc fine judiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus, scilicet, ut ignorantiam parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientiam remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus: ut in eo quòd soluturi sumus aggregatam Synodum, à cunctis primùm absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter, et transgressores venia, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.”

Interim distributæ fuerant Acclamationes, quas statim finitâ prædictâ Oratione, cantarunt omnes, Episcopis stantibus cum mitris.

ACCLAMATIONES.

*Archidiaconus.* Soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum.

*Chorus.* Laudamus te, Domine, qui illuminans mirabiliter à montibus æternis, sacrum illud Provinciale Concilium ad optatum exitum mirâ benignitate perduxisti: tibi laus, tibi potestas et imperium in sæculum, et usque in sæculum sæculi.

*Archid.* Beatissimo Domino nostro Pio, sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, multi anni et æterna memoria.

*Chorus.* Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissimè Ecclesiæ tuæ conserva, multos annos.

*Archid.* Reverendissimo Domino Archiepiscopo Baltimorensi, qui hoc Concilium celebravit, cum multis annis magnæ gratiæ.

*Chorus.* Magnæ gratiæ: Dominus retribuatur, et eum in multos annos Ecclesiæ suæ conservet.

*Archid.* Reverendissimis Episcopis, qui ad hoc Concilium celebrandum accesserunt, magnas gratias.

*Chorus.* Reverendissimis Dominis Episcopis magnæ gratiæ, vita, et felix ad Ecclesias suas reditus.

*Archid.* Fidelibus Provinciæ nostræ, et populo Christiano universo, pax Christi æterna.

*Chorus.* Vias tuas, Domine, demonstra illis; et dirige eos in veritate tuâ, ut non obliviscantur operum Altissimi, et mandata ejus exquirant.

*Archid.* His decretis inhærentes, misericordiam Dei Omnipotentis, et gratiam magni et primi Sacerdotis Dei et Domini nostri JESU CHRISTI, intercedente inviolatâ et sanctissimâ Dei Matre, sanctis

Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, consequamur.

*Chorus.* Fiat, fiat. Amen, amen.

Absolutis Acclamationibus, cantatus est hymnus *Te Deum*; et post hymnum, per Revmum D. Archiepiscopum sequens Oratio pro gratiarum actione:

OREMUS.

“Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.”

Tum data est PAX, singulis Episcopis ad Revmum D. Archiepiscopum, et dehinc ad ceteros Praelatos, juxta consecrationis ordinem, accedentibus. Postea Revmus D. Archiepiscopus, in medio altari constitutus, versa ad populum facie, more solito solemnem benedictionem impertitus est: et Diacono postmodum clara voce dicente, *Recedamus in pace*; ceteri responderunt, *In nomine Christi, amen*: tuncque omnes pariter surgentes, pacifice recesserunt.

Vesperae hora quarta P. M. cantatae sunt, quibus interfuerunt Revmus D. Archiepiscopus et ceteri Praelati pontificaliter induti, Presbyteri etiam vestibus sacerdotalibus ornati. Lecta est Epistola ad Fideles Provinciae, et solemnis SSmi Sacramenti benedictio data.

Absoluti post dies duodecim Concilii Decreta, Romam ad Beatissimum ac SS. Patrem Pium felicis PP. VIII, RR.PP.DD. supra commemorati, pro confirmatione miserunt, in hunc modum scribentes:

## EPISTOLA

PATRUM CONCILII BALTIMORENSIS PROVINCIALIS I,  
AD SUMMUM PONTIFICEM.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO

PATRI

PIO VIII PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,

**I**NTER gratulationes, quas ob SANCTITATIS VESTRAE ad supremam Petri Cathedram assumptionem, Christianus orbis Romam laetus undique mittit, haud ingratas communi fidelium Patri futuras speramus, quas ex Septentrionalis nostrae Americae adhuc infantibus Ecclesiis BEATITUDO VESTRA recipiet. Perjucundum quidem nobis exultantis animi sensus, ob tantum Pastorem perdifficilibus hisce temporibus, provido Dei miserantis consilio, Ecclesiae datum, his litteris communi testimonio patefacere, atque simul illius quam Christi in terris Vicario debent omnes Ecclesiarum Pastores, venerationis, reverentiae, et obedientiae argumentum aliquod proferre. Id autem nos sincere praestituros arbitramur, nostri Baltimorensis Provincialis Concilii decreta BEATITUDINIS VESTRAE supremo iudicio subjiendo, ut quae Ecclesiarum nostrae curae commissarum bona decernenda censuimus, Apostolicam approbatione, si quam merentur, donata, necessariam sanctione roborentur. Ea igitur Romam transnavigare volumus; ea ante SANCTITATIS VESTRAE tribunal sistere jubemus, ut ad trutinam revocata, ex illis quae Petro probata fuerint,

tantum approbemus, et quæ ab illo rejicienda vel condemnanda judicabuntur, rejiciamus atque damnemus. Ea autem in illis condendis, BEATISSIME PATER, mens nostra non fuit ut novum aliquem Ecclesiasticarum legum codicem fabricaremus, aut earum quæ jam latæ fuerunt ad unguem absolutam et perfectam clero et populo Diœcesum nostrarum collectionem exhiberemus. Absit ut hujusmodi consilia animo versaremus. Ad primum enim quod attinet, sanctissima et antiqua Ecclesiastica instituta, SS. Patrum, venerandorum Conciliorum, Summorumque Pontificum auctoritate firmata, eâ quâ par est veneratione prosequentes, nil nobis sanctius, nil unquam antiquius erit quàm illis adhærere, atque à novitatibus omnibus tot periculis refertis abhorrere. Quoad verò secundum, nec alii desunt fontes, ex quibus oves nostræ curæ concredite Ecclesiasticarum legum doctrinam possint haurire; nec temporum adjuncta, aliaque graviora pastoralis muneris officia ad perdifficile hujusmodi opus lucubrandum otium necessarium nobis reliquissent. Igitur id nobis propositi fuit, ut scilicet præsentibus urgentioribusque Diœcesum nostrarum necessitatibus occurreremus, et imprimis unam eandemque, quoad fieri posset, disciplinam restitueremus, Sacerdotibus collaboratoribus nostris in memoriam revocando eâ, quæ ab Ecclesiâ jam decreta, vel commendata fuerunt.

Fateamur profectò oportet, et "benedicamus Deum cœli, et coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam: etenim sacramentum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est." Nondum enim duorum sæculorum tempus elapsum est, ex quo primum in remoto et obscuro Marylan-

diæ angulo, Catholici nominis homines numero pauci (Missionariis paucis præeuntibus) è patriâ exules, persecutionem quâ ob avitam fidem crudeliter impetebantur fugientes, hujus Americanæ Ecclesiæ fundamenta jecerunt: vix quadraginta annorum spatium effluxit ex quo is fidelium numerus in Fœderatis hisce Americanis Provinciis inventus fuit, qui primæ Episcopalis Sedis Baltimori, Summi Pontificis iudicio, erectionem postulare videretur: nondum tandem vigesies anni circulus est revolutus, ex quo Sanctissimi Pontificis Pii VII decreto Baltimorensis Ecclesia Metropolitanâ dignitate et juribus cohonestata, suffraganeis Diœcesibus recenter erectis, veluti Mater filiorum lætans, fœcunditatis dono cœlitus accepto, prolem quam recens Christo genuerat, in novis Ecclesiis primò circumspexit. Nihilominus tantas videmus à Deo impertitas Ecclesiis istis nascentibus benedictiones, tantumque datum vineæ huic incrementum, ut et qui plantaverunt, et qui irrigaverunt, et qui vindemiant, et qui torcularia redundantia calcant, "digitum Dei" hic omninò fateri, atque mirari cogantur. Fidelium numerus crescit in dies, templa cultu divino haud indigna passim ædificantur, verbum Dei undequaque et non sine fructu prædicatur, odia et vulgata in Ecclesiam atque Fideles evanescent præjudicia; Religio sancta, olim despecta et contemptui habita, honorem ab ipsis inimicis accipiens; Christi Sacerdotes ab iis etiam qui foris sunt venerati; veritas et divinitas fidei nostræ, non in Ecclesiis et ex suggestu solum, sed ex ipsis typographicis officinis, periodicis et longè lateque diffusis libellis proclamata, et ab hæreticorum ac infidelium calumniis vindicata. Sex clericorum Seminaria, spes Ecclesiarum nostrarum, jam instituta, et sanctissimâ

disciplinâ à piis doctisque sacerdotibus gubernata; novem ad puerorum et adolescentium in pietate, bonis artibus et scientiis etiam altioribus institutionem Collegia sub clericorum regimine, Catholici nominis decus, per diversas provincias erecta; ex his tria Universitatis nomine et privilegiis à Comitibus generalibus decorata; sacrarum Virginum monasteria domusque triginta tres, ex diversis Ordinibus et Congregationibus Ursularum, Visitationis, Carmelitarum, SS. Cordis, Sororum Charitatis, Lauretinarum, etc., passim per Diœceses nostras fundata; unde non solum consiliorum Evangelicorum observantiâ, aliarumque virtutum omnium exercitio, sed et puellarum innumerarum piâ institutione, "Christi bonus odor" undequaue diffunditur: religiosorum Ordinum Prædicatorum et Societatis Jesu, Sacerdotum sæcularium Congregationis Missionis et S. Sulpitii domus nonnullæ, ex quibus sacerdotes ad sacras missiones, veluti ex centro radii, emittuntur: scholæ non paucæ, ubi pauperes utriusque sexûs gratis docentur: hospitalia, ubi regionibus istis prius ignota Christianæ charitatis exempla à Religiosis puellis quotidie, maximo animarum et Religionis lucro, præbentur. En, BEATISSIME PATER, quæ nobis contulit Deus, paucis ab hinc annis, insignia beneficia: ea porrò à BEATITUDINE VESTRA in præsentiarum occultare fas minimè fuisset.

Ast inter tot gaudii justas causas, non desunt, PATER SANCTISSIME, luctûs et doloris haud contemnenda motiva. Ædituorum aliquibus in locis usurpata in Ecclesias potestas; exiguus sacerdotum et operariorum numerus, Diœcesum nostrarum necessitatibus omninò impar; clamor proinde parvulorum, qui verbi Dei panem petunt, animum nostrum, veluti

gladius, pertransiens, cùm desint qui panem illis frangere possint; subsidia ad sacrorum Ordinum candidatos in seminariis alendos deficientia; eorum qui huc aliunde veniunt clericorum et sacerdotum, suam quâ indigemus operam nobis offerentium, corda scrutandi, quove spiritu agantur cognoscendi, arduum negotium; deplorandi humanæ istius infirmitatis effectus in quibusdam ex iis, qui ad sacerdotalia munia à nobis deputati, vitam heu! adeò sublimem statum decentem aliquandò minimè agunt; facilis ad schismata in regionibus istis occasio, et ad illa præcavenda vel extirpanda non semper in nobis satis expedita potestas; varia in varias provincias, nec semper sibi constans, à Missionariis ceteroquin piis ex diversis regionibus advenientibus, inducta disciplina. Hæc sunt mala, quæ à nobis remedium aliquod postulare videbantur. His occurrere cupientes, decreta quæ supremo SANCTITATIS VESTRÆ judicio subjecimus, condidimus, futurum sperantes ut Apostolicâ sanctione firmata, finem optatum consequantur. Id unum nobis hîc adjicere liceat, in veneratione, obsequio, et obedientiâ quam erga Apostolicam Sedem ex animo profiteamur, nullis primas partes cessuros,

SANCTITATIS VESTRÆ,

Obsequentissimos Filios,

- † JACOBUM, *Archiepiscopum Baltimoremsem.*
- † BENEDICTUM JOSEPHUM, *Bardensem Episcopum.*
- † JOANNEM, *Episcopum Carolopolitanum.*
- † EDUARDUM, *Episcopum Cincinnatiensem.*
- † JOSEPH, *Episcopum S. Ludovici, et Administratorem Apost. Neo-Aureliæ.*
- † BENEDICTUM, *Episcopum Bostoniensem.*

Datum Baltimori, Anno Reparatae Salutis 1829, die verò Octobris 24.